

LIX. 3328.

XXXVII

de recta methodo discerni jurisprudentiam.

33

1681, 24

Nobilissimæ Iurisprudentiæ Cultores

AD

PRAELECTIONES P V B L I C A S

In libros Institutionum

humanissime inuitat

I. PHILIPPVS SLEVOGTVS,
D. PHIL. AC IVR. ET VTRIVSQ.
PROF. ORDINAR.

IENAE cIO Ioc LXXXI.

Typis Io. NISII.



Quod olim hodieque a doctissimis viris usurpatum nouimus, ut aut insignis argumenti, aut scriptoris excellentis interpretationem aggressuri, in laudem suscepti operis, quoque acriores stimulos studiosæ pubi adderent, auspicali dissertatione quædam præfarentur; id quidem hoc ipso tempore, postquam commendatione incliti Iureconsultorum ordinis, iussuque & auctoritate Serenissimorum Saxonæ Principum, Dominorum meorum clementissimorum, novo studiorum præmio donatus, atque in numerum ordinariorum iuris Professorum adscitus sum, video mihi denuo esse imitandum. **Q**uum autem in vniuersum de nobilissimis iurisprudentiæ studiis præclare sentiatis, atque in amorem egregiæ huius scientiæ veluti conspiraueritis, Commitentes; quotquot vestrum pensi habent communem scopum, cuius gratia in illustrem Academiam hanc vndique confluxistis, ab se satis perspicient, eo quemque debere eniti, vt cœlesti aliquando prouisu, in curia, in senatu, in iudiciis, in schola, & quoquis tandem ciuilium munera genere, consulere commodis mortaliū, & creditæ sibi reip. partem rite gubernare queat. **Q**uod quidem pro eo, vt par est, nequit præstari, nisi artem illam, æqui bonique, iurisprudentiam, in otio hoc litterario hauserit quisque bona fide, nec perfunctorie muneris sui partibus fuerit perfunctus.

Dum autem Iurisprudentiam appello, non vnius diei intelligetis laborem, & in leui habendum, sed qui ambitu suo illud ius primum, quod hominem commendat homini, & communi vinculo dispersas per terrarum orbem gentes copulat; deinde vero patrias leges complectitur. Quarum partem non minimam sicut Romanorum sanctiones, a plerisque populis adscitæ, faciunt: ita prima etiam cura in iisdem pernoscendis descendisque non immerito consuevit ponî. In cuius iuris laudem nihil necesse est, vt hoc loco digrediar: quum abunde constet, adeo perfectum & a diuinis plane ingenii multorum sæculorum studio excultum esse, vt oculos

&

& admirationem omnium in se conuerterit , nec tam ciuilis
potestatis iussa , quam ipsius iustitiæ ac prudentiæ oracula
continere censeatur. Quidquid a Decemuirorum æuo ad
Iustiniani vsque ætatem, viri eruditione, iudicio , moribus il-
lustres reperiere, vt fortissimis fulcris ciuilem illam societa-
tem stabilirent, id omne vel exceptum vel congestum , in æ-
terno Pandectarum & Codicis volumine, non secus ac vete-
res thesauros ac regales gazas seruamus , tam manifesta ple-
rarumque partium, & eorum cumprimis, quæ ad contractus
aut damnum iniuria datum pertinent , æquitate , vt ad quos
populos Romana arma pertingere haud valuerunt, ad illos ius
Quiritium sine vi vlla , solis iustitiæ suæ viribus triumphans,
penetrauerit. Liceat enim huc transcribere elogium , quo
ius istud,in Academiis Germaniæ iam a sæculo quinto decimo
receptum & totius consensu imperii comprobatum , extollit
vir sui nominis Hugo Grotius. Qui ex Gallica nobilitate *Grot. Epis.*
iuuenem, Ludouicum Auberium Maurerium, aliquot episto- *156. ad Gall.*
lis ad illius studium acriter exhortatur , aliam rem nullam
nobili homine & in rep. versante digniorem aut neces-
sariam magis iudicans , quam illam cum patrii , tum Romani
iuris cognitionem. Hanc quippe scientiam illam esse , quæ
Gallis cancellarios, quæ custodes sigillorum , ac tot denique
Parlamento lumina dederit.

Non minus profecto de Germanica nobilitate affirmare licet, longe plurimos ad summas dignitates in Cæsarum principumque palatiis nunquam adsurrecturos fuisse, nisi vetustis imaginibus maiorum , ac suis met virtutibus etiam, splendorem quasi hac eruditionis luce circumfudissent. Sicuti enim nocturnas inter tenebras lunæ sidus nunquam pulchriore lumine cœlum pingit, quam vbi fulgido illo stellarum choro agminatim quasi stipatur : ita haud gratior unquam magna nobilitas ac virtus censeri potest, quam si cordatae eruditio- nis, ac iurisprudentiae in primis, comitatu exornetur. Neque segnius ex reliquo discenitium cœtu vrgere propositum de-

A 2 bent,

bent, qui semel animum scientiae legum dicauerint, tantoque acriore nixu incumbent in hanc curam, quanto maius nominis decus & fortunam secundiorem sibi habent polliceri. Mihi autem, qui comitem me vobis ductoremque præbere ausus sum, per legitimos iam tramites & facili breuique via ducendi eritis, Commilitones: ne ad arcem illam iurisprudentiae per deuia contendentes circumuagemini temere, per que eminentia montium ac saxorum acumina cruentos pedes infeliciter trahatis.

Ac primo quidem loco non præter rem fuerit monuisse, sub auspiciis statim studiorum ab unoquoque constitui debere scopum, ad quem industriam suam & cursum Academicæ vitæ enixe dirigat. Nam ut terminum ac metam habent, ad quam defudent, qui peregre proficiscuntur aut currunt in stadio: sic nemo in iurisprudentia addiscenda tam securus sit oportet, quin probe secum, quid ingenii vires, quidque fortunæ ratio permittant, præmeditetur. Enimvero, si quidquam, illud magni Roterodami in Milite Christiano consilium prudentissimum iudico, destinare sibi debere quemque, quod summum est, ut mediocria saltem assequatur. Solet etenim usu hoc venire, ut quem sibi quis præfixit terminum, raro proprius contingat, multoque rarius eum valeat transcendere: nec temere æquabit artifex aut vincet exemplum, quod non tam victoriarum, quam solius imitacionis cupidine sequitur: nec ardore pari atque impetu animi ad minora, & summa, suoque genere excellentissima ferimur: quum ista vel difficultate sua vrgeant atque instigent languorem, illa autem hoc ipso nomine, quod facilia creduntur, negligentiores nos reddant. Fieri inde adeo consuetuit, ut ne debitam quidem ac necessariam ad leuiora studia curam afferamus, fereque semper consistamus infra propositi mensuram.

Imprudens vero ille contemtus Erasmiani moniti, necio an non inter præcipuas fundi litterarii, ut sic loquar, calamitatem

Iamitatem, interque maximas profectuum tremoras referri possit, quo parta nobis apud Europæas gentes profundioris doctrinæ gloria sensim decrescit, ac postremo soli maiorum industriae debebitur. Qui enim nunc temporis quorundam mores sint, quidnam solidos profectus nostros moretur, non me censore, sed ex grauissimis Boecleri verbis, si fas est eadem heic inculcare, discere potestis. Erumpit, inquit, ex gymnasii, que vocant, puer etate lubricus, infans ore, litteris inops, moribus rufis. Si queras, unde ē cur, & quo? bonores Academicos memorabit & titulos, & post tertium quartumue annum publici dignitates officii. Quia via, o bone, quo instructu, quibus praesidiis? Gracis nihil magnopere indigeo: Latina ex duobus lexicis & mille phrasibus, quas mirificas esse, omnes agnoscant, conquirere iussus, magnis propediem opibus abundabo. Artium precepta partim memoriter teneo; partim facile discam, quo circulis volvatur cœlum, quo sint rerum elementa, quo virtutibus vita describatur. Nam cetera in vitibus & superuacuis babenda, plurimorum mibi exempla persuadent.

Tametsi vero intempestiuæ hæc festinatio vano compendiariæ viæ titulo amantes otii atque incautos fascinat: reuera tamen nihil est quam mora studiorum & nocentissima perplexitas. Adeoque tandem, postquam & commorati in Academiis aliquamdiu fuere, & adest iam tempus, quo in patriam, publicamque rem erogandæ liberaliter essent, quas pepererant sibi opes, videmus haud paucos luere negligentiæ poenas, & ex libertate Academica, qua abutebantur, ad seruitutem ac vilia ministeria detradi, nulla certe fatorum destinatione, sed suo ipsorum merito. Non pessime igitur rebus suis consulturos fuisse credas, si aduersus inopiam ac fortunæ casus artificio alicui simul operam dediscent, exemplo Hebræorum, apud quos sapientia etiam sectatores, alii pistores, alii futores, pelliones alii fuere.

Inuenias fortassis nonnullos, qui ne egisse nihil videantur, solum ordinem indiciorum, & qua formularum solenni-

tate testamenta aut contractus conscribantur, aude arripi-
piant, veramque æqui ac boni scientiam, id est, legum ipsa-
rum diligentem tractationem, procul omnino habeant. Hi
vero elementis iurisprudentiæ, quæ Iustinianus in usum cu-
pidæ legum iuuentutis adornauit, aut neglectis, aut vix in
transitu inspectis, a corpore autem ipso Pandectarum ac Co-
dicis, tanquam ab Eleusiniis sacris, a quibus longe submouean-
taur profani, siue ineruditæ oculi, abstinentes, quæstionibus
paucis in foro frequentatis terminum eruditionis suæ me-
tiuntur, moxque recocti ex Academiæ alumnis practici de-
repente prouolant ad iudicia & artificia litigiorum, copias
suas omnes, quanta vi possunt, explicantes. Quænam illæ
sint si quæras, nihil obseruabis nisi iurgia & myriades exceptio-
num, quibus vndique tumultuantur ac miscent omnia, so-
lique sibi videntur regnare. At ubi post contestatam litem
ad rem ipsam & caussam tot turbarum deuentum est; ubi ex
penetalibus iurisprudentiæ produci subsidia, quidque leges,
quid consuetudines, quid iustitiæ & æquitatis ratio postulent,
pronunciari debet, ibi præter repentinum silentium, ac spem
in responsis consultorum vnice repositam, inania omnia de-
prehendes.

Hic vero est fructus negligentiae; hinc ille apud impe-
ritissimum quemque contemtus hominum in foro patroci-
nantum: quorum tamen munus ex Anastasi imperatoris
elogio laudabile, vitaque hominum necessarium est, & maxi-
me principalibus præmiis oportet remunerari: quod tandem
passim terrarum, vt Lipsii verbis utar, *directus ipse limes est*
bodie ad ciuiles dignitates. Hinc porro, atque ex moribus
quibus corrupti sunt aliqui, rursusque alios corrumpunt, tot
enata in opprobrium vocabula, vt non antiquitus tantum,
teste Heraldo ad Apologeticum Tertulliani, sed nostris tem-
poribus etiam, pro pacificatoribus flabella discordiarum, pro
legum assertoribus proditores ac busta perniciosissima; pro
ciui-

P.Galand.
Prof. ad
Inst. Quint.

ciuib[us] honestis, vtilibus ac salutaribus, probra, pestes ac fu-
nera reip. perhibeantur.

Hæc autem singula & vniuersa non odio hominum,
non imprudenti sapientiæ ostentatione a me hactenus allata
sunt, verum vt in limine iurisprudentiæ constitutos accen-
dam ad solidum doctrinæ decus, vtque doceamini manife-
stius, quo cumprimis eundem sit, ostenso prius, quonam &
quibusdam ingenti reip. damno & aberrantium ignominia
catur. Neque primus ego, qui talia memorare publice au-
deam: quum prudentissimorum virorum, quibusque vita o-
mnis in litteris & administratione reip. transacta fuit, gra-
uiores multo querelæ legantur. Ne plures vobis in testimo-
nium citem, inspiciatis modo verba illustris viri, magnique
iureconsulti ac politici, & in ciuilium rerum usu perpetuo ver-
fati Cancellarii, Christophori Forstneri, quæ ad secundum
Annalium Taciti habentur, ac breuitatis cauſa nolo exscri-
bere.

Nec vero subsistit heic, quæ ex neglectu solidioris do-
ctrinæ nasci solet pestis, sed latius grassatur adhuc & grauis-
sima studiorum damna procreat, vbi ad rempubl. & aulas po-
tentiorum contemptus etiam aut odium bonarum artium
ad fertur. Quales enim Mæcenates sibi tunc polliceri ha-
beant erudita ingenia, facile est coniectu. Sed sicuti beatæ
reipubl. character est litterarum gloria, doctorumque æsti-
matio & abundantia virorum (quod & testimoniis veterum
& grauibus argumentis egregii scriptores pridem docuere)
ita vbi magnæ industriæ aut nullum aut exiguum ponitur
præmium, ad ruditatem ac barbariem proclivis aditus, non
in petu quidem & vnius aut alterius anni spatio, sed pede-
tentim tamen struitur. Quemadmodum enim nemo repen-
te bonus fit aut malus: ita nec a summæ scientiæ fastigio ad
infimæ ignorantie dedecus simul ac semel descenditur. Ne-
bulæ quoque paullatim surgunt, & dum per momenta sin-
gula cumulantur auctibus, facile discuti a sole ac disturbari
que-

queunt: at quando extolli cœpere ac vincere densitate sua,
quid aliud nobis minantur, quam subsequuturam breui tem-
pore caliginem, tristissimos iuxta imbres ac tempestates fœ-
das tracturam. Non aliter lux illa litterarum eripitur ge-
neri humano, & turpissimæ mox tenebræ cuncta premunt,
quam primum collecta diu humorum, id est, ignorantiae col-
luvio totam sese cœperit explicare.

Sed postquam sufficienter vidimus, quanto publicæ rei
periculo iurisprudentia tam oscitanter a quibusdam tra-
ctetur, dispiciendum porro erit, quonam pacto præcipue ad
summa omnia pro se quemque fas sit eniti. Sane quidem,
quandocunque diuersitatem ingeniorum, & variantem ma-
xime hominum fortunam prudenter expendimus, haud ob-
scurum erit, fieri nunquam posse ut ingeniosis & hebetiori-
bus, ut ortis ex nobili genere ac plebeii, ut opulentis atque
egenis communem pariter scopum recte præfigamus. Nec
satis sobria res foret, ad summam in iure perfectionem,
quanta vel vnquam datur, vel intelligi potest, promiscue o-
mnes exhortatum ire. Merito enim verendum esset, ne, qui
altius ire debebant, ad summa excitati, præsumta desperatio-
ne, quo velint, enitendi, protinus circa ima subsisterent.
Dum igitur incomparabilis Roterodami, quin & Quintilianus
exemplo, ad summa omnibus contendendum esse pronuncia-
mus, non illud equidem suademos, quod ipsi iam reprehendi-
mus; sed istud existimamus tantum, haud alia ratione quem-
quam cum profectu & emolumento reipubl. operam iuri
daturum, quam si primum exploratis ingenii viribus, ac per-
pensa generis ortusque sui conditione, nec non excussis di-
ligenter facultatibus, ad cultum prudentiæ iuris accedat.
Tum vero metam laborum ac vigiliarum sibi figat oportet,
non quæ per se perfectionem omnem complectatur, sed quæ
respectu discentis censeri summa possit.

Neque enim tam obtuso sum animo, ut non intelli-
gam, diuersam ineundam esse studiorum rationem, si scholæ
tan-

tantum discas, & erudiendæ iuuentuti industriam tuam velis
consecrare; sique contra ea affectes lucem negotiorum, atque
ad curam publicæ rei adspires. Illis enim, vt prudenti cuius
patet ac diu alii monuere, non permisum tantummodo,^{G. Bosius ad Agricola Taciti caput 4.}
sed ferme necessarium existimatur, vt nihil ignorent discipli-
næ, quam profitentur, adeoque nec illa, quorum nullus nisi in
disputationibus usus est. At longe dispari instituto ac mo-
do studia tractabunt ingenia exercitæ vitæ destinata, & per-
sequentur tantum, quæ viris factis ac versantibus in medio
strepitu negotiorum, siue consulendum, siue respondendum
de iure, siue iudicandum fuerit, vera subsidia præstant. Non
itaque laborabunt multum, vt spinosis ac subtilibus contro-
uersiis ingenium macerent, nec in tractandis amoenioribus
parum seueri erunt temporis custodes. Eadem ratione &
illi difficiles sibi moras haud nectent, quorum aut infelix in-
genium aut exiguus census, ac res angusta domi, Academi-
cam vitam, metamque studiorum in longum vetat extende-
re. Tum igitur ad summa se peruenisse gloriari quisque
poterit, si perpetuo & indefesso nixu hoc est adsequutus, vt
promouere gradum, & illud *plus ultra* repetere, vel ingenii
vel fortunæ culpa prohibetur. Quam sententiam, vbi te-
nuerimus constanter; vbi hoc consilio nitemur semper ad
optima: id consequuturi tandem sumus, vt aut euadamus in
summum, aut certe multos infra nos videamus. Quæ Quintili-
ani verba sunt extremo egregii operis Institutionum Ora-
toriarum.

Ast quibus præceptionibus necessaria cuique iuris cogni-
tio comparetur; qui faciendi sint studiorum gradus, non per-
inde omnes consentiunt: nisi quod inter primordia doctri-
næ huius præ cæteris dandam esse operam statuunt pruden-
tes, vt specialiori tractationi ichnographia quædam iuris, &
definitiones cumprimis ac diuisiones insigniores præmittan-
tur, quo confusam quandam (vt appellant) notitiam no-
bis paremus, intellectum & memoriam mirifice adiuuantem.

B Sua-

Suadent hoc inculcantque sedulo in cæteris jetiam scientiis philosophi, & omnium, vt barbare loquimur, facultatum doctores. Ex philosophis præcipue Ioannes Lippus Canone studiosorum, ex iureconsultis Wesenbecius, Pacius, Gifanius, Jacobus Gothofredus, Antonius Matthæi, Timæus Faber, & cum iis Tabor etiam. Atque hic eadem fini elegantem & insignis usus libellum vulgauit, *Iurisprudentia methodica*, seu *Partitionum* titulo : in quo præter syllogen definitionum, ac diuisionum, docet insuper ordinem Institutionum, singulorumque titulorum connexionem. Subiecit pariter generibus istis, quæ inferuire docentibus possunt, aut maioribus profectibus sunt reseruanda. A quo libello auspicari studia iurisprudentiæ, leuiter tactis quæ ad ordinem ac methodum duntaxat pertinent, e re omnino studentium fuerit. Ac ne remoræ quædam discendi audiis obiificantur, sicubi non plana & expedita omnia fuerint, priuatim me interpretem cuiuis offero, intra breuissimum temporis spatium rem omnem diuina ope confecturus.

Ab hisce igitur initio, postquam sedulus iurisprudentiæ cultor intellectu ac memoria præcipuarum definitionum ac diuisionum semet bene præparauerit, proferendus erit gradus ad compendium, quod vniuersalia ac necessaria iuris principia breuiter atque ordine decenti instillet. Ei rei imperator Iustinianus, quum ingens Pandectarum volumen confecisset, quatuor Institutionum libros, vt totius legitimæ scientiæ prima essent elementa, conscribi iussit, quo submotis studiorum remoris, quæ nimium quantum profectus discendentium differebant, liceret nobis *prima legum cunabula non ab antiquis fabulis discere, sed ab imperiali splendore appetere* : *E tam aures quam animi nostri nibil inutile, nibil perperam possum, sed quod in ipsis rerum obtineret argumentis, aciperent.* Hi vero libri, mirificis eruditorum laudibus ornati, vtrum nostro etiam æuo conueniant, atque inter auspicia studiorum debeat commendari, non apud omnes expeditum est.

Quum



Quum enim potissimum hanc institutionum legem ponant prudentes, ut necessariis tantum infirmi adhuc animi imbuantur, primum intellectu est, non antiquata & desuetudine abolita, sed quorum praesens ac frequentissimus est usus, tradi debere. At vero Imperatorias institutiones multa & antiquata nec recepta hodie complecti, & aequa plurimis, quae consuetudine, aut expressa post Iustinianum sanctione, introducta sunt, iisque rebus scitu maxime necessariis destitui, nemini eruditorum non constat. Quid igitur, inquit, torqueamus tirocinii annos antiquarum fabularum, ut ab imperatore ipso vocantur, tractatione, & utiliorum interim doctrinam temere negligamus? Habuerint enim illa maximum aetate Iustiniani usum; at nunc alia tempora, alii mores, alia iura, institutiones quoque alias postulant. Nec dubitandi causa est, quin imperator ipse nouam iurisprudentiam synopsin, nouas institutiones imperio daturus esset, si isto saeculo nostro vita frueretur ac fasces Germaniae teneret. Cuius quidem volumina, sapientissimis legibus referta, quamquam recepta sunt passim terrarum, non adeo tamen superstitione Academiis obtrusa putemus, ut aliunde haurire prima iuris elementa nefas habeatur.

Non memorabo hic fastidiose, quam vehementer Iustiniani methodus, etiam in Institutionibus displiceat delicatis ingenii, quamque misere interdum compilator Tribonianus vapulet. Illud maximum trahere momentum videtur, quod multorum in Academiis durissima haec conditio est, ut ingredi plurium annorum iter, & hærere diu in doctrinis, sibi quidem spe obliuionis futurae tantum addiscendis, nulli queant, ingenii aut rei familiaris angustia ad interiora iurisprudentiae nunquam admittendi. His ergo proficuum magis censeri debet, si neglectis omnibus, quae profundorem doctrinam, plusque temporis depositum, neque in usu habentur temere, aut necessaria haud sunt in foro versaturis; statim conuertant animum ad praesentiorem ciuilium rerum intel-

B 2 ligen-

ligentiam, eo maturiores futuri qualicunque muneri, quo celerius se ac sine circuitione præparauerint. Scitum Plinii
Epist. 8. 14. verbum est, octavo epistolarum : *Quotusquisque tam patiens, ut velit discere, quod in usu non sit habiturus? adde quod difficile est, tenere que acceperis, nisi exerceas.*

Quamquam vero omni tempore multi extitere, qui ma-
lo huic facere medicinam laborarint: fere tamen usu venit,
ut, dum alii explicare obscura, eruere antiqua, emendare or-
dinem, supplere defectus, annotare hodierni fori usum eni-
xius student, ingenia obruerint propemodum ingenti mole,
& magis auocauerint iuuenilem ætatem a libri elegantissimi
amore, quam ad eundem inflamarint. Prodiere enim
passim tam grandes commentarii, intempestive & inuito Iu-
stiniano, quidquid in iure usquam aut memorabile aut con-
trouersum esse potest, elementis iurisprudentiae infarcientes
& adglutinantes, ut pro explicatione institutionum integræ
iuris civilis systemata dederint, ordine tantum institutionum
conciuncta. Jacobum sane Cuiacium, quum libros Institu-
tionum tam planos ac faciles sibi videri pronunciaret, ut nul-
lus esset, qui interprete minus indigeret, ex sua potius fa-
cultate, quam ex vero rem æstimasse, facile Vinnio accredi-
mus: dudumque id ipsum exemplis probatum dedit, ante-
cessor quondam in Academia hac nobilissimus, Gothofredus
Suevus, peculiari programmate, quod anno labentis sæculi
octavo & quadragesimo publicauit. Cæterum illud tamen
negari nequit, tironum captui se non accommodare inter-
pretes, qui, conquerente Mæstertio, enarrationibus non con-
tentii, ex Digestis & Codice obiectiones formant, doctorum
sententias adducunt, ac perplexis iuris difficultatibus illos ir-
retiunt, qui ne vix quidem vocabula artis audiuerunt, multo
minus speciem seu casum earum legum, quæ aceruatim ad-
ducuntur, & in quibus interpretandis plerique multum æstu-
ant, peruidere possunt. Pari autem modo, ait, peruerse id
fieri, quo is perperam ageret, qui paganis prima religionis
fun-

*Maff. Diff.
de immi-
labore stud.
iurid.*

fundamenta propositus, illico implicatissima, qua veteris,
qua noui Instrumenti loca, insuper sinistras hæreticorum in-
terpretationes & impugnationes adducere vellet. Lac enim
teneris stomachis, non validum cibum conuenire. Quidquid
igitur obtendatur ab aduersa parte, certum omnino est,
subinde grauiter offendere commentatores istos, nec fru-
stra ignobile eorum otium vocasse Cuiacium, qui libellum
Institutionum longissimis onerant commentariis, quod po-
situm est in vna cognitione, in infinita dispartientes. Nam
qua, inquit, scientia bac est, que modum non habet ullum? que
fines suos egreditur? que tota deerrat a preceptis suis, & summo
illo præsertim, nec a Iustiniano prætermisso, ut incipientibus iura
tradantur leui ac simplici via, ne difficultate institutionis tam nu-
merosa atque perplexa ab hoc studio deterreantur, & ut Tbeo-
philus monuit, ne fiant duοιλμσοι εις τὰ μετατάγματα.

Quoniam itaque non satis consulere studiosæ pubi vi-
debantur commentatores, aliam viam ingressi sunt cordatis-
simi iureconsultorum, atque ad maturandos tironum pro-
fectus, nouas plane institutiones aut suaserunt concinnari,
aut ipsi concinnarunt, non sine applausu atque emolumen-
to emturientium. In quibus quum alia aliis ratio placeat,
Simon Starauolscius, vir non obscuri nominis, ita institutio-
nes vtriusque iuris conscribendas censet, ut omnia omnino,
tum legum tum interpretum testimonia & *allegationes*, ut
vulgo appellamus, omittantur, vitata etiam frequentiore se-
ctione in capita, paragraphos, & numeros. His enim offu-
scari plerumque debiliorem memoriam, mentem distrahi, ac
tandem difficultate discendi ac desperatione a studiis penitus
auerti. Ipse etiam Lancelotti exemplo breuiarium Iuris Pon-
tificii dedit, quod indicata ratione adornatum, & in libros
septem, quorum singuli titulos certos seu capita, & paragra-
phos habent, diuisum est.

Sed hi omnes sicuti non penitus iuuentutis manibus
libros Iustinianos excussum iuere: ita prudenti consilio Sere-

nissimi Academiæ nostræ Nutritores ex cathedra publica non nisi institutiones Imperatorias prælegi iussere. Quum enim iurisprudentia omnis, quanta quanta est, in legibus, seu expressa sanctione promulgatis, seu moribus ac tacito summae potestatis consensu introductis, versetur: certiore equidem via adsequi propositum finem, id est, scientiam iuris haud licet, quam si legum ipsarum cognitioni mature studeamus. Nam etsi argumentum ac mentem legum percipere aliunde potes: quis non præclarus existimet, legislatorem ipsum veluti præsentem, sanctaque dictantem oracula audire, quam pendere a fide interpretis, &, quod tardi ingenii esse Cicero iudicauit, consecrari tantum riuulos, fontes ipsos rerum non videre? Prudenter Oldendorpius, & post eum consultissimi viri monuere, studio iuris præ cæteris in id incumbendum esse, ut lectioni Romanorum iureconsultorum atque imperatorum adsuescat. Quanto magis de illis libris idem monendum fuerit, quos adeo comtos, quoque ordine & arte tanta conditos ait Cuiacius, quanta vix ullus hodie, aut vnquam nobis confici possit? quos denique Mæstertius censet legendos, relegendos, ediscendos, & si fieri facile queat, penitus memoriae mandandos.

Neque est, cur absterreri quisquam se patiatur argumentis contra hos libros prolati, quod multa antiquata ac remota prorsus ab usu hodierni fori in illis contineantur, quodque ex aduerso desiderentur haud pauca, quæ non sine remora profectus a tironibus ignorentur. Nam ut hæc suppeditari a doctore, aut ex scriptis in usum istum iam editis hauriri sufficienter possunt: ita eadem opera docebitur auditor facile, etquid mandandum memoriae, quidve commodato veluti oculo inspiciendum sit. Utque Nicolai Damasceni ex Peirescio εἰκὼν de studiorum ratione huc flectam, prudentis est interpretis, imitari peritos itinerum comites, qui sedulo ac singulis locis edocent, quænam ciuitates adeundæ in hospitium, in quibus persistendum & commorandum, quænam

rur-

rursum transeundæ tantum & oculis non nisi libandæ sint. Eodem pacto præceptorum usus fideli opera monendus est, ne incauta atque inexperta ætas fallat tot horas inutili labore, suumque studiorum cursum ipsa sufflaminet.

Reliqua obiici solita minoris adhuc momenti sunt: & optamus serio cum multis eruditorum, exoriatur tandem aliquando alter Iustinianus, qui explere desideria tot clarissimorum hominum, & grauibus adeo malis, quibus iurisprudentia nostra fatigatur, ferre medicinam velit ac possit. At quamdiu subsistere intra vota cogimur, nulli priuato, quantacunque doctrina & ingenio emineat, tantum neruorum erit, ut Iustiniani libros, siue rem ipsam, siue ordinem rerum ac methodum spectes, vertat in alias formas, ac Germaniæ totius Academiis iudiciisque obtrudat. Publico enim consensu approbata ac recepta, non nisi publica auctoritate vel tolli vel emendari queunt. Toties agitata ea de re consilia fuere, toties periculum ab eruditis factum, numquid melior nobis resurgi iurisprudentia possit; sed irrito semper conatu, non paucioribus difficultatibus contra objectis. Utamur itaque præsenti iure, ut possimus ac debemus, & industria nostra ac ductu peritorum, quidquid asperi ac molesti obstabit progressui, aut emolliamus, quantum potest, aut prudenter etiam declinemus.


Ipse quidem, Serenissimorum Saxoniæ Ducum iussu atque auspiciis ad intelligendos Institutionum libros facem vobis prælatus, diuina gratia, & quantum ingenii vires permittent, in erudiendis vobis operam ac fidem omnem collocabo, nec priuatim minus quam publice studiis cuiusque consulam. Vesta res deinceps agetur: vobis, ut ait ille Comicus senex, seretis, vobis occabitis: vobis omnem doctrinæ messem, postque exantatos fortiter labores, solidum gaudium, ac planum ad honores & munia publica aditum estis paraturi. Aletis vero studium meum constanti benevolentia & attentione, ac tantum discendi ardorem in auditorium afferetis, quantum

ego



ego honestæ voluntatis ad animos vestros disciplina iuris ex-
colendos; nec imitabimini Romanorum adolescentum mores,
de quibus ille e porticu philosophus, *veniunt*, inquit, *vt audi-
ant, non ut discant*. Curabo autem sedulo, nec laborem ullum
fugiam, ne interpres iuris, ipse opus habeam interprete: modo
non idein fatum experiar, quo pressos quosdam docentium
nouimus, vt quantumuis satagentes suarum rerum, alienæ
negligentiæ inuidia inique onerarentur. Magnus ille
Patauinus orator, qui adhuc hodie Italiam suam ac sæ-
culum illustrat, quum de caussis pereuntium litterarum
facundissime differuerisset, mala tandem percenset, quæ prope-
rantem ad vota iuuentutem, & crudam etiamnum indolem in
superiores scholas propellentem, maneant. *Quid inde con-
sequatur*, inquit, *pudet pigetque referre*. Primum omnium, ubi
Academiam ingreditur, putat se in aliud terrarum orbem dela-
tum. Professores audit, nec intelligit, mox culpam in ipsos rege-
rit, ait obscuros esse ac salebrosos. Nimirum vt vetula illa apud
Senecam, quum per atatem duriori aure facta esset, querebatur
malum morem incessisse, quod homines submissius loquerentur:
ita bi mentis vitio cœcutientes obscuritatem professorum arguunt.
Hinc desperatio oritur, vt quod non intelligunt, contemnant.
Sed meliora ominabimur: & est tandem modus scripturæ huic
faciendus. Crastino die lunæ, hora prima pomeridiana,
quod deus felix faustumque esse iubeat, initium recitationum
fiet. Tu, florentissima Iuuentus, spectabili corona exedram
stipabis. P. P. V, Nonas Iulii, A. R. S. cIc Icc LXXXI.

Lit. B. 2. pag. 2. v. 23. lege: *quondam in Academia Leucorea
nobilissimus.*






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-383192-p0021-3

DFG



Jena, Diss., 1681

Cx 2403652)

VDT



Farkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



XXXVII
1681, 24 33

jurisprudentiæ
ltores
AD
CTIONES
LICAS
stitutionum
sime inuitat
SLEVOGTIVS,
VR. ET VTRIVSQ.
ORDINAR.
Ic Ic LXXXI.
Io. NISI.